

arbitremini dixisse quam verius, audite ipsum Dominum Iesum, quid dixerit de illo Samaritano, uno de decem leprosis quos mundaverat, qui solus rediit ut gratias ageret: *Nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? non erat alius qui daret gloriam Deo, nisi alienigena iste* (LUC. XVII, 17, 18). Pertinet ad imaginem rei, quod ab alienigenis venit ista mulier, quae typum gerebat Ecclesiae: ventura enim erat Ecclesia de Gentibus, alienigena a genere Iudaeorum. Audiamus ergo in illa nos, et in illa agnoscamus nos, et in illa gratias Deo agamus pro nobis. Illa enim figura erat, non veritas; quia et ipsa praemisit figuram, et facta est veritas. Nam credidit in eum, qui de illa figuram nobis praetendebat. *Venit ergo haurire aquam.* Simpliciter venerat haurire aquam, sicut solent vel viri vel feminae.

2052 *Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in civitatem, ut cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudaeus cum sis, bibere a me possis, quae sum mulier Samaritana? Non enim contuntur Iudaei Samaritanis.* Videtis alienigenas: omnino vasculis eorum Iudaei non utebantur. Et quia ferebat secum mulier vasculum unde aquam hauriret, eo mirata est, quia Iudaeus petebat ab ea bibere, quod non solebant facere Iudaei. Ille autem qui bibere quaerebat, fidem ipsius mulieris sitiebat.

2053 Denique audi quis petat bibere. *Respondit Iesus, et dixit ei: Si scires domum Dei, et quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.* Peti bibere, et promittit bibere. Eget quasi accepturus, et affluit tamquam satiaturus. *Si scires, inquit, domum Dei.* Donum Dei est Spiritus sanctus. Sed adhuc mulieri tecte loquitur, et paulatim intrat in cor. For-

tassis iam docet. Quid enim ista hortatione suavius et benignius? *Si scires domum Dei, et scires quis est qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan peteres, et daret tibi aquam vivam:* huc usque suspendit. Viva aqua dicitur vulgo illa quae de fonte exit. Illa enim quae colligitur de pluvia in lacunas aut cisternas, aqua viva non dicitur, et si de fonte manaverit, et in loco aliquo collecta steterit, nec ad se illud unde manabat admiserit, sed interrupto meatu, tamquam a fontis tramite separata fuerit; non dicitur aqua viva; sed illa aqua viva dicitur, quae manans excipitur. Talis aqua erat in illo fonte. Quid ergo promittebat quod petebat?

Tamen mulier suspensa ait: *Domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est.* Videte quomodo intellexerit aquam vivam, aquam, scilicet, quae erat in illo fonte. Tu mihi vis dare aquam vivam, et ego fero unde hauriam, et tu non fers. Aqua viva hic est, quomodo mihi daturus es? Aliud intelligens et carnaliter sapiens quodammodo pulsata, aperiat magister quod clausum est. Pulsabat ignorantia, non studio; adhuc miseranda, nondum instruenda.

2055 Dicit aliquid evidentius Dominus de illa aqua viva. Dixerat enim mulier: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius?* De hac aqua viva dare mihi non potes, quoniam hauritorium non habes: forte alium fontem promittis? Patre nostro melior potes esse, qui hunc puteum fodit, et ipse cum suis usus est eo? Dominus ergo dicat quid dixerit aquam vivam. *Respondit Iesus, et dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam*

aeternam. Apertius locutus est Dominus: *Fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Qui biberit de aqua ista, non sitiet in aeternum.* Quid evidentius, quia non aquam visibilem, sed invisibilem promittebat? quid evidentius, quia non carnaliter, sed spiritualiter loquebatur?

2056 Adhuc tamen illa mulier carnem sapit: delectata est non sitire, et putabat hoc secundum carnem promissum sibi esse a Domino. Quod quidem fiet, sed in resurrectione mortuorum. Iam hoc volebat illa. Dederat enim Deus aliquando servo suo Eliae, ut per quadraginta dies nec esuriret, nec sitiret (III REG. XIX, 8). Qui hoc potuit dare per quadraginta dies, non potuit dare semper? Suspirabat tamen illa, nolens indigere, nolens laborare. Assidue venire ad illum fontem, onerari pondere, quo indigentia suppleretur, et finito quod hauserat, rursus redire cogebatur: et quotidianus ei fuit iste labor; quia indigentia illa reficiebatur, non exstinguebatur. Delectata ergo tali munere, rogat ut ei aquam vivam daret.

2057 Verumtamen non praetereamus, quoniam Dominus spirituale aliquid promittebat. Quid est: *Qui biberit de aqua hac, sitiet iterum?* Et verum est secundum hanc aquam; et verum est secundum quod significabat illa aqua. Etenim aqua in puteo, voluptas saeculi est in profunditate tenebrosa: hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum. Cupiditatem quippe proni submitunt, ut ad voluptatem haustam de profundo perveniant; et fruntur voluptate, praecedente et praemissa cupiditate. Nam qui non praemiserit cupiditatem, pervenire non potes ad voluptatem. Pone ergo hydriam, cupiditatem; et aquam de profundo, voluptatem; cum pervenerit quisque ad voluptatem saeculi huius, cibus est, potus est, lavacrum est, spectaculum est, con-

cubitus est; numquid non iterum sitiet? *Ergo de hac aqua qui biberit, iterum, inquit, sitiet:* si autem accepterit a me aquam, non sitiet in aeternum. *Satiabimur, inquit, in bonis domus tuae* (PSAL. LXIV, 5). De qua ergo aqua daturus est, nisi de illa de qua dictum est: *Apud te est fons vitae?* Nam quomodo sitient qui *inebriabuntur ab ubertate domus tuae?* (PSAL. XXXV, 10, 9).

2058 Promittebat ergo saginam quamdam et satietatem Spiritus sancti: et illa nondum intelligebat; et non intelligens, quid respondebat? *Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ad laborem indigentia cogebat, et laborem infirmitas recusabat. Utinam audiret: *Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam* (MATTH. XI, 28). Hoc enim ei dicebat Iesus, ut iam non laboraret: sed illa nondum intelligebat.

2059 Denique volens ut intelligeret, *dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc.* Quid est, *Voca virum tuum?* Per virum suum ei volebat aquam illam dare? An quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? Forte quomodo ait Apostolus de mulieribus, *Si quid autem voluit discere, domi viros suos interrogent?* sed ibi dicitur, *domi viros suos interrogent*, ubi non est Iesus qui doceat: denique dicitur mulieribus quas prohibebat Apostolus loqui in Ecclesia (I COR. XIV, 34, 35). Cum vero ipse Dominus aderat, et praesens praesenti loquebatur? quid opus erat ut per virum eius ei loqueretur? Numquid per virum suum loquebatur Mariae sedenti ad pedes suos, et excipienti verbum suum, quando Martha circa multum ministerium etiam de sororis suae felicitate occupatissima murmurebat? (LUC. X, 39, 40). Ergo, fratres mei,

audiamus et intelligamus quod ait Dominus: *Voca virum tuum*, mulieri. Forte enim et animae nostrae dicit: *Voca virum tuum*. Quaeramus et de viro animae. Cur iam non ipse Iesus vir animae verus est? Adsit intellectus, quoniam quod dicturi sumus, vix capitur nisi ab intentis: adsit ergo intellectus ut capiat, et ipse intellectus erit fortasse vir animae.

2060 Videns ergo Iesus quia mulier non intelligebat, et volens eam intelligere, *Voca*, inquit, *virum tuum*. Ideo enim nescis quod dico, quia intellectus tuus non adest: loquor ego secundum spiritum, tu audis secundum carnem. Quae loquor, nec ad voluptatem aurium pertinent, nec ad oculos, nec ad olfactum, nec ad gustum, nec ad actum; mente sola capiuntur, intellectu solo hauriuntur: ille intellectus non tibi adest, quomodo capis quod dico? *Voca virum tuum*, praesentia intellectum tuum. Quid tibi est enim animam habere? Non est magnum, nam et pecus habet. Unde tu melior? Quia intellectum habes, quod pecus non habet. Quid est ergo: *Voca virum tuum*? Non me capis, non me intelligis: de dono Dei tibi loquor, tu autem carnem cogitas; secundum carnem sentire non vis, ego spiritum alloquor: absens est intellectus tuus: *Voca virum tuum*. Noli esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (PSAL. XXXI, 9). Ergo, fratres mei, animam habere, et intellectum non habere, hoc est, non adhibere, nec secundum eum vivere, bestialis est vita. Est enim in nobis quiddam bestiale quod in carne vivimus, sed intellectu regendum est. Motus enim animae secundum carnem se moventis, et in deliciis carnales immoderate diffluere cupientis, regit desuper intellectus.

2061 Qui debet dici vir? qui regit, an qui regitur? Procul dubio cum ordinata

vita est, intellectus animam regit, ad ipsam animam pertinens. Non enim aliquid aliud est quam anima, sed aliquid animae est intellectus: quomodo non aliquid aliud quam caro est oculus, sed aliquid carnis est oculus. Cum autem carnis aliquid sit oculus, solus tamen luce perfruitur: cetera autem membra carnalia luce perfundi possunt, lucem sentire non possunt; solus ea oculus et perfunditur et perfruitur. Sic in anima nostra quiddam est quod intellectus vocatur. Hoc ipsum animae quod intellectus et mens dicitur, illuminatur luce superiore. Iam superior illa lux, qua mens humana illuminatur, Deus est: *Erat enim verum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (IOAN. 1, 9). Talis lux Christus erat, talis lux cum muliere loquebatur: et illa intellectu non aderat, qui illa luce illuminaretur, nec tantum perfunderetur, verum etiam frueretur. Ergo Dominus tamquam diceret, illustrare volo, et non adest quem; *Voca*, inquit, *virum tuum*: adhibe intellectum per quem docearis, quo regaris. Ergo constitue animam excepto intellectu tamquam feminam: intellectum autem habere, tamquam virum. Sed iste vir non bene regit feminam suam, nisi cum a superiore regitur. Caput enim mulieris vir, caput autem viri Christus (I COR. XI, 3). Loquebatur caput viri cum femina, et non aderat vir. Et tamquam diceret Dominus: Adhibe caput tuum ut ille suscipiat caput suum: ergo *voca virum tuum, et veni huc*; id est, adesto, praesens esto: velut enim absens es, dum non intelligis praesentis vocem veritatis; praesens esto, sed noli sola; cum viro tuo adesto.

2062 Et adhuc illa nondum advocato illo viro, non intelligit, adhuc carnem sapit; absens est enim vir: *Non habeo*, inquit, *virum*. Et Dominus sequitur, et myste-

ria loquitur. Intelligas revera istam mulierem non habuisse tunc virum; sed coutebatur nescio quo non legitimo viro, adultero magis quam viro. *Et Dominus ei: Bene dixisti, quia non habeo virum*. Unde ergo tu dixisti: *Voca virum tuum*? Et audi quia bene novit Dominus eam non habere virum, *Dicit ei*, etc. Ne forte putaret mulier ideo dixisse Dominum: *Bene dixisti, quia non habeo virum*, quod hoc a muliere didicerit, non quod ipse istud divinitate cognoverit, audi aliquid quod non dixisti: *Quinque enim viros habuisti, et iste quem habes, non est vir tuus, hoc vere dixisti*.

2063 Iterum cogit de istis quinque viris subtilius aliquid perscrutari. Multi quippe intellexerunt, non quidem absurde, nec usquequaque improbabilius, quinque viros mulieris huius, quinque libros Moysi. Utebantur enim eis Samaritani, et sub eadem Lege erant: nam inde illis et circumcisio inerat. Sed quoniam angustat nos quod sequitur: *Et nunc quem habes, non est vir tuus*; videtur mihi facilius nos posse accipere quinque viros priores animae, quinque sensus corporis esse. Quando enim quisque nascitur, antequam uti possit mente atque ratione, non regitur nisi sensibus carnis. Anima in puero parvulo, quod auditur, quod videtur, quod olet, quod sapit, quod tactu sentitur, hoc appetit aut fugit. Appetit quidquid mulcet, fugit quidquid offendit hos quinque sensus. Hos enim quinque sensus mulcet voluptas, offendit dolor. Secundum hos quinque sensus, tamquam quinque viros, prius vivit anima; quia istis regitur. Quare autem viri dicti sunt? Quia legitimi. A Deo quippe facti, et a Deo donati animae. Infirmi est adhuc quae istis quinque sensibus regitur, et sub istis quinque viris agit: at ubi venerit ad annos exserendae rationis, si eam susceperit optima disci-

plina et doctrina sapientiae; quinque illis viris ad regendum non succedit, nisi vir verus legitimus et illis melior, et qui melius regat, et qui ad aeternitatem regat, ad aeternitatem excolat, ad aeternitatem instruat. Nam nisi quinque sensus non ad aeternitatem nos regunt, sed ad ista temporalia vel appetenda vel fugienda. Ubi vero intellectus sapientia imbutus regere coeperit animam, scit iam non solum fugere foveam, et ambulare in aequali quod oculi ostendunt animae infirmas: nec tantum canoras voces suaviter audire, dissonasque repellere; vel blandis odoribus delectari, putresque respicere; aut dulcedine capi, et amaritudine offendi; aut lenibus mulceri, et asperis laedi. Ista enim omnia infirmas animas sunt necessaria. Quid ergo regiminis adhibetur per illum intellectum? Non alba et nigra discreturus est, sed iusta et iniusta, bona et mala, utilia et inutilia, castitatem et impudicitiam, hanc ut amet, istam ut vitet; charitatem et odium, in hac ut sit, in illo ut non sit.

2064 Hic vir quinque illis viris in ista muliere non successerat. Ubi enim non succedit ille, error dominatur. Nam cum coeperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore: sed error non regit, sed perdit. Post istos ergo quinque sensus mulier illa adhuc errabat, et error eam ventilabat. Error autem iste non erat legitimus vir, sed adulter: ideo ei Dominus, ait: *Bene dixisti, quia non habeo virum. Quinque enim viros habuisti*: quinque te sensus carnis primo rexerunt; venisti ad actum utendae rationis, nec ad sapientiam pervenisti, sed in errore incidisti. Ergo post illos quinque viros, *iste quem habes, non est tuus vir*. Et quid erat, si vir non erat, nisi adulter? *Voca* itaque non adulterum, sed *virum tuum*; ut in-

lectu me capias, non errore de me aliquid falsum sentias. Adhuc enim errabat mulier, quae aquam illam cogitabat; cum iam Dominus de Spiritu sancto loqueretur. Quare errabat, nisi quia adulterum, non virum habebat? Tolle ergo hinc istum adulterum qui te corrumpit, et *vade, voca virum tuum*. Voca, et veni, ut intelligas me.

2065 *Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu.* Coepit venire vir, nondum plene venit. Prophetam Dominum putabat. Erat quidem et propheta: nam de seipso ait: *Non est propheta sine honore, nisi in patria sua* (LUC. IV, 24). Item de illo dictum est ad Moysen: *Prophetam eis suscitabo de fratribus eorum, similem tui* (DEUT. XVIII, 18). Similem, scilicet, ad formam carnis, non ad eminentiam maiestatis. Ergo invenimus Dominum Iesum dictum prophetam. Proinde de iam non multum errat mulier ista. *Video, inquit, quia propheta es tu.* Incipit vocare virum, adulterum excludere: *Video quia propheta es tu.* Et incipit quae-rere quod illam solet movere. Contentio quippe fuerat inter Samaritanos et Iudaeos, quia Iudaei in templo a Salomone fabricato adorabant Deum; Samaritani longe inde positi, non in eo adorabant. Ideo Iudaei meliores se esse iactabant, quia in templo adorabat Deum. *Non enim continentur Iudaei Samaritanis:* quia dicebant eis: Quomodo vos iactatis, et ideo vos meliores nobis esse perhibetis, quia templum habetis quod nos non habemus? Numquid patres nostri qui Deo placuerunt in illo templo adoraverunt, non in monte isto adoraverunt, ubi nos sumus? Melius ergo nos, inquit, in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri rogaverunt. Contendebant utrique ignari, quia virum non habentes: illi pro templo, illi pro monte inflabantur adversus invicem.

Dominus tamen modo quid docet mulierem, tamquam cuius vir coeperit praesens esse? *Dicit ei mulier: Domine, video quia propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt, et vos dicitis quia Ierosolymis est locus ubi adorare oportet. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi.* Venient enim Ecclesia, sicut dictum est in Canticis canticorum: *Veniet et pertransiet ab initio fidei* (CANT. IV, 8, SEC. LXX). Venient ut pertranseat, et pertransire non potest nisi ab initio fidei. Merito iam praesente viro audit: *Mulier, crede mihi.* Iam enim est in te qui credat, quia praesens est vir tuus. Coepisti adesse intellectui, quando me prophetam appellasti. *Mulier, crede mihi:* quia nisi credideris, non intelligetis (IS. VII, 9, SEC. LXX). Ergo: *Mulier, crede mihi, quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adorabitur Patrem. Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus; quia salus ex Iudaeis est. Sed veniet hora.* Quando? *Et nunc est.* Quae ergo hora? *Quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate; non in monte isto, non in templo, sed in spiritu et veritate. Nam et Patres tales quaerit, qui adorent eum.* Quare Patres tales quaerit qui adorent eum, non in monte, non in templo, sed in spiritu et veritate? *Spiritus est Deus.* Si corpus esset Deus, oportebat eum adorari in monte, quia corporeus est mons; oportebat eum adorari in templo, quia corporeus est templum. *Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.*

Audivimus, et manifestum est; foras ieramus, intro missi sumus. O si invenirem, dicebas, montem aliquem altum et solitarium! Credo enim quia in alto est Deus, magis me exaudit ex alto. Quia in monte es, propinquum te Deo putas, et cito te exaudiri, quasi de proximo

clamantem? In excelsis habitat, sed humilia respicit. *Prope est Dominus.* Quibus? forte altis? *His qui obtriverunt cor* (PSAL. XXXIII, 19). Mira res est: et in altis habitat, et humilibus propinquat: *humilia respicit, excelsa autem a longe cognoscit* (PSAL. CXXXVII, 6); superbos longe videt, eo illis minus propinquat, quo sibi videntur altiores. Quae rebas ergo montem? descende ut attingas. Sed ascendere vis? ascende: noli montem quaerere. *Ascensiones, inquit, in corde eius* (hoc Psalmus dicit), *in convalle florationis* (PSAL. LXXXIII, 6, 7). Convallis humilitatem habet. Ergo intus age totum. Et si forte quaeris aliquem locum altum, aliquem locum sanctum, intus exhibe te templum Deo. *Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos* (I COR. III, 17). In templo vis orare? in te ora. Sed prius esto templum Dei, quia ille in templo suo exaudit orantem.

2068 *Venit ergo hora, et nunc est quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. Nos adoramus quod scimus, vos adoratis quod nescitis; quoniam salus ex Iudaeis est.* Multum dedit Iudaeis: sed noli istos reprobos accipere. Parietem illum accipe cui adiunctus est alius, ut pacati in lapide angulari, quod est Christus, copulentur. Unus enim paries a Iudaeis, unus a Gentibus: longe a se isti parietes, sed donec in angulo coniungantur. Alienigenae autem hospites erant, et peregrini a testamentis Dei (EPHES. II, 12-22). Secundum hoc ergo dictum est: *Nos adoramus quod scimus.* Ex persona quidem Iudaeorum dictum est, sed non omnium Iudaeorum, non reproborum Iudaeorum: sed de qualibus fuerunt Apostoli, quales fuerunt Prophetae, quales fuerunt illi omnes sancti, qui omnia sua vendiderunt, et pretia rerum suarum ad pedes Apostolorum posuerunt (ACT. IV, 34, 35). *Non*

enim *reputit Deus plebem suam quam praescivit* (ROM. XI, 2).

Audivit hoc mulier ista, et addidit. *2069 Iamdudum prophetam dixerat; vidit talia dicere eum cum quo loquebatur, quae iam plus essent ad prophetam; et quid respondit, videte: Dicit ei mulier: Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, omnia nobis demonstrabit.* Quid est hoc? Modo inquit, de templo contendunt Iudaei, et nos de monte contendimus: cum ille venerit, et montem spernet, et templum evertet; docebit nos iste omnia, ut in spiritu et veritate noverimus adorare. Sciebat quis eam posset docere, sed iam docentem nondum agnoscebat. Iam ergo digna erat qui manifestaretur. Messias autem unctus est; unctus graece Christus est; hebraice Messias est; unde et punice, Messe dicitur unge. Cognatae quippe sunt linguae istae et vicinae, hebraica, punica, et syra.

Ergo: *Dicit ei mulier: Scio quia Messias veniet, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis amuntiat omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.* Vocavit virum suum, factus est vir eius caput mulieris, factus est Christus caput viri (I COR. XI, 3). Iam mulier ordinatur in fide, et regitur bene victura. Posteaquam audivit hoc: *Ego sum qui loquor tecum, iam ultra quid diceret; quando Christus Dominus manifestare se voluit mulieri, cui dixerat: Crede mihi?*

Et continuo venerunt discipuli eius, et mirabantur quia cum muliere loquebatur. Quia quaerebat perditam, qui venerat quaerere quod perierat, hoc illi mirabantur. Bonum enim mirabantur, non malum suspicabantur. *Nemo tamen dixit: Quid quaeris aut quid loqueris cum ea?* *2070 Reliquit ergo hydriam suam mulier.* Audito: *Ego sum qui loquor tecum, et recepto in cor Christo Domino, quid fa-*

ceret, nisi iam hydriam dimitteret, et evangelizare curreret? Proiecit cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem. Discant qui volunt evangelizare, proiciant hydriam ad puteum. Recordamini quid superius dixerim de hydria: Vas erat unde aqua hauriebatur, graeco nomine appellatur hydria, quoniam graece υδρο aqua dicitur; tamquam si aquarium diceretur. Proiecit ergo hydriam, quae iam non usui, sed oneri fuit: avida quippe desiderabat aqua illa satiari. Ut nuntiaret Christum, onere abiecto. *Cucurrit ad civitatem, et dicit illis hominibus: Venite, et videte hominem qui mihi dixit omnia quaecumque feci.* Pedetentim, ne illi quasi irascerentur, et indignarentur, et persequerentur. *Venite, et videte hominem qui dixit mihi omnia quaecumque feci: numquid ipse est Christus? Exierunt de civitate, et veniebant ad eum.*

2073 *Et interea rogabant eum discipuli dicentes: Rabbi, manduca. Ierant enim emere cibos et venerant. Ille autem dixit: Ego habeo cibum manducare quem vos non scitis. Dicebant ergo discipuli ad invicem: Numquid aliquis attulit ei manducare? Quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam? ecce discipuli nondum intelligunt escam. Audivit autem cogitationes illorum, et iam instruit ut magister; non per circuitum, sicut illum cuius adhuc virum requirebat, sed iam aperte: *Meus, inquit, cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.* Ergo et potus ipse erat in illa muliere, ut faceret voluntatem eius, qui miserat eum. Ideo dicebat: *Sitio, da mihi bibere*; scilicet, ut fidem in ea operaretur, et fidem eius biberet: et eam in corpus suum traiceret: corpus enim eius Ecclesia. Ipse est ergo, inquit, *cibus meus ut faciam voluntatem eius qui me misit.**

2074 *Nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, et messis venit? In opus*

fervebat, et operarios mittere disponebat. Vos quatuor menses computatis usque ad messem; ego vobis aliam messem albam et paratam ostendo. *Ecce dico vobis, levate oculos vestros, et videte quia iam albae sunt regiones ad messem.* Ergo messores missurus est. *In hoc enim est verbum verum, quia alius est qui metit; alius qui seminat: ut et qui seminat simul gaudeat et qui metit. Ego misi vos metere quod vos non laborastis: alii laboraverunt et vos in laborem eorum introistis.* Quid ergo? messores misit, non seminatores? Quo messores? Ubi iam alii laboraverunt. Nam ubi iam laboratum erat, utique seminatum erat; et quod seminatum erat, iam maturum erat factum, falcem et tritiram desiderabat. Quo ergo erant messores mittendi? Ubi iam Prophetæ predicaverant; ipsi enim seminatores. Nam si ipsi non seminatores, unde ad illam mulierem pervenerat: *Scio quia Messias veniet!* Iam ista mulier fructus maturus erat, et erant albae messes, et falcem quaerebant. *Misi vos ergo: quo? Metere quod non seminastis: alii semina-verunt, et vos in labores eorum introistis.* Qui laboraverunt? Ipse Abraham, Isaac, et Iacob. Legite labores eorum: in omnibus laboribus eorum prophetia Christi; et ideo seminatores. Moyses et caeteri Patriarchæ et omnes Prophetæ, quanta pertulerunt in illo frigore quando seminabant? Ergo iam in Iudaea messis parata erat. Merito ibi tamquam matura seges fuit, quando tot hominum millia pretia rerum suarum afferebant, et ad pedes Apostolorum ponentes, ex-peditis humeris a sarcinis saecularibus Christum Dominum sequebantur: vere matura messis. Quid inde factum est? De ipsa messe eiecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum, et surgit alia messis quae in fine saeculi tendenda est. De ista messe dicitur: *Qui se-*

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SERENSI, VOL. II, SERM. 59.)

PRIMA ratio est offensionis. Duo aspectus con-
tinue erant in mente Iesu. Primus ad dilectum
Deum; secundus ad dilectum proximum.

Ista ergo messis crescit inter zizania, et expectat purgari in fine. Illa vero messis iam matura erat, quo prius missi sunt discipuli, uti Prophetæ laboraverunt. Sed tamen, fratres, videte quid dictum sit: *Simul gaudeat et qui seminat et qui metit.* Disparis temporis labores habuerunt: sed gaudio pariter perfruentur, mercedem simul accepturi sunt vitam aeternam.

2075 *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritani, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecumque feci. Cum venissent autem ad eum Samaritani, rogaverunt apud eos maneret, et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem eius; et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim nos adicimus, et scimus quia hic est vere Salvator mundi.* Et hoc paululum animadvertendum est, quia lectio terminata est. Mulier primum nuntiavit, et ad mulieris testimonium crediderunt Samaritani, et rogaverunt eum ut apud eos maneret, et mansit ibi biduo, et plures crediderunt; et cum credidissent, dicebant mulieri: *Non iam propter verbum tuum credimus, sed ipsi cognovimus, et scimus quia vere hic est Salvator mundi;* primo per famam, postea per praesentiam. Sic agitur hodie cum eis qui foris sunt, et nondum sunt christiani: Christus nuntiavit per christianos amicos; tamquam illa muliere, hoc est Ecclesia annuntiante, ad Christum veniunt, credunt per istam famam; manet apud eos biduo, hoc est, da illis duo praecepta charitatis; et multo plures et firmius in eum credunt, quoniam vere ipse est Salvator mundi.

2077 Primus aspectus erat ad dilectum Deum; proinde quantum dilexit aeternum Patrem, tantum doluit de qualibet offensa eius; et quantum dilexit aeterni Patris gloriam, tantum doluit peccati contra eum ignominiam. Amplius, tantum dolorem sumpsit pro qualibet culpa, quantum erat gravis aeterni Patris iniuria, et quantum requirebat emenda. Et si unius mortalis iniuriae infinita est gravitas, quanta erit tunc omnium simul? Ad quamlibet quidem singularem culpam, seu iniuriam, seu contumeliam summi Patris, habuit singularem aspectum. Summe tibi exemplum de filio summi Imperatoris; qui si dilectum Patrem cerneat a vilissimo ribaldo pro lutum et stercus, per capillos et barbam contumeliose trahi, et pugnis, et calcibus os, et faciem eius contundi; quanta is amaritudine repletur? utique quantum diligeret eum, ac quanto ignominiosius tractaretur. Multo quidem id perfectius erat in Christo, ut ex se patet.

2078 Secundus Christi aspectus erat ad dilectum proximum; unde quantum dilexit eos qui suum offende-bant Patrem, tantum doluit de tali offensione. Et ut sequamur exemplum filii praedicti Imperatoris, si tanta dilectione filius ille ad ribaldum afficeretur quod se in eum cordialiter transforma-ret, ut quasi abieci si illa fecisset imputaret ad poenam, quantus dolor multiplicaretur in corde eius? Pro praedictis duobus aspectibus Propheta (PSAL. CVIII), ait: *Fiant filii eius orphani, et uxor eius vidua.* In quo vero duplex viduae indicatur dolor. Primus ex morte mariti; secundus, quia or-bati patre sunt eius filii; ut mystice innuatur duplex praedictus amor et dolor: amor ad Deum et proximum, et dolor de mortali offensa Dei, et damno offenditis proximi.

2079 Secunda ratio est ignorationis. Duo alii aspectus erant in mente Iesu circa humanum genus, scilicet, quia videbat illud ignorare deo. Primo, quantum fuit beneficium suae humanitatis; secundo, quantum fuit in assumendo humanam naturam amor suae immensissimae charitatis, qui, scilicet, eum huma-nari fecit. Has igitur ignorantias in humano gene-re semper Christus recognoscens, tantum dolorem in mente sua de illis sumpsit, quantum erat beneficium suae humanitatis, et quanta fuit in hoc magnitudo suae charitatis cum qua et carnis assumpsit, et pro nobis in cruce mori voluit. Et quae natura humana, vel Angelica exprimeret posset magnitudinem beneficii assumptionis nostrae humanitatis in hoc erga nos suae immensissimae

charitatis? Proinde Ambrosius ait: Tristis erat, quia parvulus nos relinquebat; parvulus inquit, id est, de utroque beneficio ignorantes.

2080 Tertia est recessionis. Duo alii aspectus erant in mente Christi. Primus, quo intelligebat magnitudinem poenae ex qua debebat mors inferri; secundus, quia cognoscebat quantum seipsum diligebat qui debebat mori. Ex hoc duplici aspectu in mente eius tantus generabatur dolor, quanta erat poena, ex qua moriturus erat, et quantus erat amor, quem ad seipsum habebat. Et de hoc duplici aspectu (MATT. XXVI) Dominus ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem*, scilicet, quia video poenam quam deo sustinere, et amorem quo me diligo, et tenor me diligere. Et quia nullus in humana natura, neque totum humanum genus sufficiebat hoc intelligere, et sibi compati, atque sibi regnari; ideo vice omnium electorum sibipsi condidit, sicut Deo in assumpta natura pro humano genere patienti. Unde sicut in aliis, sic et in hoc omnium electorum suorum supplevit defectum, totum se relinquens in gratiarum actione Deo et sibipsi de tanto beneficio electis collato, et in seipso nos omnes fecit recognoscentes; in quo et nos reputamur plene grati de beneficio redemptionis, et causa conerucifixi similitudini mortis eius.

2081 Secundo adduntur aliae tres rationes.

2082 Prima ratio est reverberationis. Duo alii aspectus erant in mente Domini nostri Iesu Christi. Primus ad suae dulcissimae Matris amorem; secundus ad suae amorosissimae Matris dolorem. Quia enim intelligebat dulcissimam Matrem suam super omnes alias creaturas ex suo amore incurabilibus doloribus plenam, tantum in mente sua dolebat, quantum amorosissimam Matrem suam diligebat, et quanti erant dolores in corde Virginis Matris, sed quoniam beata Virgo in cognitione omnium dolorum Christi illustrata fuerit, et in charitate perfecta ad Filium fuerit sublimata, tantum de eis doluit, quantum id satus maternae excellentiae requirebat; et hi materni dolores continue mentem Filii sagittabant. Proinde Ier. Thren. I, in persona Domini ait: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, et videte si est dolor, sicut dolor meus*, scilicet, hoc duplici aspectu considerato.

2083 Secunda ratio est compassionis; quia enim Christi caput erat omnium electorum, duo quoque alii aspectus erant in mente eius. Primus ad omnes martyrum poenas; secundus ad aliorum salvandorum labores et meritoria opera. Ex hoc vero duplicato aspectu tantus in anima eius generabatur dolor, quanta erant omnium aliorum iustorum laboriosae atque meritoriae operationes; nam omnium Martyrum dolores per compassionem ita suscepit

Iesus Christus, quod multo amplius et dolorosius fuerant infixi cordi eius, quam in Martyribus qui illa supplicia sustinuerunt; necnon et omnium electorum labores non solum in generali excepti in corde suo, sed etiam singulariter singulis multo distinctius atque perfectius, quam illi qui pro suo nomine illos sustinuerunt. Proinde in persona Domini de hoc duplici aspectu Propheta ait: *Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea*. Ossa quidem fortia Martyres extiterunt, quos propter tormentorum asperitatem dispersos dicit. Alii vero electi, quasi guttae sudoris Christi, propter labores eorum de eius corpore effusi sunt, qui omnes in Christi sanguine sudores mystice demonstrantur; nam sanguis ad Martyres, et sanguineus sudor ad ceteros electos et iustos convenientius adaptari potest.

2084 Tertia ratio est incisionis. Alios quoque duos aspectus habuit Filius Dei Christus. Primum ad omnes mortales culpas; secundum ad omnes infirmitates nostras. Ex hoc duplici aspectu tantum in anima sua dolebat, quot et quanta erant mortales culpa, per quas praescindebantur membra eius ab eo, et quot et quanta erant infirmitates mentales et corporales suorum pretiosorum membrorum. Et de hoc duplicato dolore, Ierem. ait: *Foris interfici gladius, scilicet, mortalis culpa membra Christi praescindens, et domi morsimilis est*, videlicet, cuiuslibet infirmitas membrorum quodlibet infirmitatis. Stupendum quidem excessum doloris sumit ratio supradicta ex respectu gratiae capitis, quo redemptor et emendator est omnis mali, quod inflicto fuit per peccatum. Ideo sumpsit Iesus haec omnia lamentanda et deploranda ut sua; non quidem ad committendum, quia peccatum non sumpsit, sed ad perfecte solvendum et satisfaciendum, quia ad hoc venit intantum, quod omnium personam induens pro omnibus satisficeret. Proinde mystice dici potest quod ipse est ille magnus peccator et poenitentiatas pro omnibus et in omnibus, pro cuius poenitentia gaudium est in coelo plusquam super omnibus ordinibus Angelorum, qui digna poenitudine non eguerunt.

2085 Tertio superadduntur aliae tres rationes. 2086 Etiam alios duos aspectus habebat Christus in anima sua. Primus erat ad animae imaginem, secundus ad animae similitudinem. Proinde videns horrendam deformitatem, quam consequitur anima ex perpetratione mortalis culpa, tantum doluit de illius deformitate, quanta erat nobilitas seu formositas imaginis animae ad imaginem Dei formatae, et quanta erat excellentia similitudinis Dei in illa; unde Ieremias (THREN. IV), admiranter stupefactus in persona Domini, ait: *Demigrata est super carbonis*

2087 *facies eorum*, scilicet, quantum ad imaginem et quantum ad similitudinem. Quam enim Christus esset legitimus animarum sponsus, perfecte diligens animarum decorem in doloribus et angustiis suis totum se reliquit, et per cineres malitiarum nostrarum infudit, ut faceret de se lavacrum ad lavandum et delendum tantam turpitudinem ac maculam peccatorum imaginis et similitudinis animae nostrae. Et quis exprimere posset dolorem animae Christi conspicientis horrendam turpitudinem macularum animarum nostrarum?

2088 Secunda ratio est fornicationis. Duos quoque alios aspectus habebat Christus in anima sua. Primus erat ad amorem quo animas sponsas suas amabat; secundus ad multitudinem animarum suarum seu sponsarum suarum quas diligebat. Videns igitur Christus quantum animae praeponebant creaturam ipsi omnium creatori, ac per hoc spirituales fornicationes considerans, tantum dolebat, quantum eas sicut sponsus amabat, et quot erant animae fornicantes; unde Ierem. II, in persona Christi sponsi eorum inquit: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis*. Considera per exemplum, si quidam Rex magnus et totus forma decorus et in omnibus donis et gratiis completissimus circumset mare et aridam pro una sibi acquirenda sponsa ac reginam nobilissimam constitisset, et illa in oculis suis quemdam ribaldum et leprosum acciperet et amaret, et de stercoribus totam suam faciem deturparet, et sic diceret sponso suo: *deoculare me, quia in alia forma me habere non poteris; nil esset dolor illius sponsi, respectu illius doloris Christi propter maculas suae sponsae cum diabolo fornicantis, et turpissimam sponso Deo mentis faciem ostendens.*

2088 Tertia ratio est contritionis. Duos alios aspectus habuit in mente Iesus. Primum ad magnitudinem peccatorum; secundum ad multitudinem eorum. Ex hoc duplici aspectu in mente sua tantum dolebat de offensionibus dammandorum, quantum erat peccatorum multitudo. Proinde Ier. Thren. II, ait: *Magna est velut mare contritio tua*. Nam magnum est in quantitate, et multum in guttatum numerositate. Et si unius mortalis culpa tanta gravitas est, quanta erit tunc omnium simul? Ad quamlibet enim mortalem culpam dolor suus habuit respectum singularem. Praeterea quum ipse venerit gratiae regni reparator, et culpa mortalis, quantum in se est, totum regnum gratiae deleat, hinc est quod totum quodlibet mortale horrere habuit, et pro eo dolere, quantum magnitudo et multitudo peccatorum mortalium regnum gratiae delet, et quum ipse secundum suum esse, quasi totaliter gratia videatur; non enim conceptus est naturali opere sed divino spiramine. Hinc est, quod

habuit horrere culpam, sicut destructivam totaliter sui esse, et suae intentionis in assumptione humanae naturae. Item quum ipse venerit ut solutor omnium debitorum nostrorum, et ut liberator ab aeternis poenis, ideo ut nos de omnibus liberaret, pro qualibet mortali culpa tantum dolorem habuit, quod dolorem divinae iustitiae exolveret correspondentem; hoc siquidem requirebat divinae iustitiae inflexibilis rectitudo, et ipsius Redemptoris in ratione satisfaciendi integritas plenitudo, ut sic nihil remaneret a divina misericordia, ac per hoc utraque honoraretur in sua excellentia.

SABBATO

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

IOANN. VIII, 1-11.

In illo tempore: Perrexit Iesus in montem Oliveti:

2. et diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos:

3. Adducunt autem Scribae et Pharisei mulierem in adulterio deprehensam: et staterunt eam in medio,

4. et dixerunt ei: Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio.

5. In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?

6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

7. Cum ergo perseverarent interrogantes eum, erexit se, et dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.

8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra.

9. Audientes autem unus post unum exibat, incipientes a senioribus: et remansit solus Iesus, et mulier in medio stans.

10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? Nemo te condemnavit?

11. Quae dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, et iam amplius noli peccare.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 33.

2089 **U**nde Iesus perrexit in montem Oliveti, in montem fructuosum, in montem unguenti, in montem chrismatismatis. Ubi enim debebat docere Christum nisi in monte Oliveti? Christi enim nomen a chrismate dictum est: *χρίσμα* unctio graece, latine unctio nuncupatur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit. Et

diluculo iterum venit in templum, et omnis populus venit ad eum, et sedens docebat eos; et non tenebatur, quia nondum pati dignabatur.

2090

Nunc iam attendite, ubi ab inimicis tentata sit Domini mansuetudo. *Adducunt autem illi scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam, et slauerunt eam in medio, et dixerunt ei: Magister, haec mulier modo deprehensa est in adulterio; in lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare: tu ergo quid dicis? Haec autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum* (Ibid. 3-6). Unde accusare? Numquid ipsum in aliquo facinore deprehenderant, aut illa mulier ad eum aliquo modo pertinuisse dicebatur? Quid est ergo, tentantes eum, ut possent accusare eum? Intelligimus, fratres, admirabilem mansuetudinem in Domino praeminuisse. Animadvertentur enim nimium esse mitem, nimium esse mansuetum: de illo quippe fuerat ante praedictum: *Accingere gladio tuo circa femur tuum, potentissime; specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna: propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam* (PSAL. XLIV, 4, 5). Ergo attulit veritatem ut doctor, mansuetudinem ut liberator, iustitiam ut cognitor. Propter haec eum esse regnaturum in Spiritu sancto propheta praedixerat (Is. XI). Cum loqueretur, veritas agnoscebatur; cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur. Cum ergo de duobus istis, id est, de veritate et mansuetudine eius inimici livore et invidia torquerentur; in tertio, id est, iustitia, scandalum posuerunt. Quare? Quia lex iusserat adulteros lapidari: et utique lex quod iniustum erat iubere non poterat; si quis aliud diceret quam lex iusserat, iniustus deprehenderetur. Dixerunt ergo apud semetipsos: Verax putatur, mansuetus videtur; de iustitia

illi quaerenda calumnia est; offeramus ei mulierem in adulterio deprehensam, dicamus quid de illa in lege praeceptum sit: si eam iusserit lapidari, mansuetudinem non habebit; si eam dimitti censerit, iustitiam non tenebit. Ut autem mansuetudinem, inquit, non perdat, in qua iam populus amabilis factus est, sine dubio eam dimitti debere dicturus est. Hinc nos invenimus accusandi occasionem, et reum facimus tamquam legis praevaricatorem, dicentes ei: Hostis es legis, contra Moysen respondes, imo contra eum qui per Moysen legem dedit: reus es mortis, cum illa et tu ipse lapidandus. Posset his verbis atque his sententiis inflammari invidia, fervere accusatio, flagitari damnatio. Sed cui hoc? Perversitas rectitudini, falsitas veritati, corruptum cor cordi recto, stultitia sapientiae. Quando illi laqueos praepararent, in quos non prius ipsi caput iniicerent? Ecce Dominus in respondendo et iustitiam servaturus est, et a mansuetudine non recessurus. Non est captus cui tendebatur, sed potius capti sunt qui tendebant; quia in eum, qui eos posset de laqueis cruce, non credebant.

Quid ergo respondit Dominus Iesus? ²⁰⁹¹ quid respondit Veritas? quid respondit Sapientia? quid respondit ipsa cui calumnia parabatur iustitia? Non dixit, non lapidetur: ne contra legem dicere videretur. Absit autem ut diceret: Lapidetur: *Venit enim non perdere quod invenerat, sed quaerere quod perierat* (Luc. XIX, 10). Quid ergo respondit? Videte quam plenum sit iustitia, plenum mansuetudine et veritate! *Qui sine peccato est vestrum*, inquit, *prior in illam lapidem mittat* (IOANN. VIII, 7). O responsio sapientiae! Quomodo eos intromisit in se? Foris enim calumniabantur, se ipsos intrinsicus non perscrutabantur;

adulteram videbant, se non perspiciebant. Praevaricatores legis legem impleri cupiebant, et hoc calumniando; non vere tamquam adulteria castitate damnando. Audistis iudaei, audistis pharisaei, audistis legis doctores, legis custodem, sed nondum intellexistis Legislatorem. Quid vobis aliud significat, cum digito scribit in terra? Digito enim Dei lex scripta est, sed propter duos in lapide scripta est (EXOD. XXXI, 18). Nunc iam Dominus in terra scribebat, quia fructum quaerebat. Audistis ergo, impleatur lex, lapidetur adultera: sed numquid in illa puniendae lex implenda est a puniendis? Consideret se unusquisque vestrum, intret in semetipsum, ascendat tribunal mentis suae, constituat se ante conscientiam suam, cogat se confiteri. Scit enim qui sit: quia nemo scit hominum quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est (I COR. II, 11). Unusquisque in se intendens, peccatorem se invenit. Ita plane. Ergo aut istam dimitte, aut simul cum illa poenam legis excipite. Si diceret, non lapidetur adultera, iniustus convinceretur; si diceret, lapidetur, mansuetus non videretur; dicat quod dicere debet, et mansuetus et iustus: *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat*. Haec vox iustitiae est: Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus; impleatur lex, sed non a praevaricatoribus legis. Haec vox omnino iustitiae est; qua iustitia illi tamquam trabali telo percussi, sese insipientes et reos invenientes, *unus post unum omnes recesserunt* (IOANN. VIII, 9). Relicti sunt duo, misera et misericordia. Dominus autem cum eos illo telo iustitiae percussisset, nec dignatus est cadentes attendere: sed averso ab eis obtutu, *ruasum digito scribebat in terra* (Ibid. 8).

2092

Reflecta autem sola illa muliere omnibusque abeuntibus, levavit oculos suos

ad mulierem. Audivimus vocem iustitiae, audiamus et mansuetudinis. Plus enim, credo, territa, erat illa mulier, cum audisset a Domino dictum: *Qui sine peccato est vestrum, prior in illam lapidem mittat*. Illi ergo attendentes se et ab accessu ipso confessi de se, reliquerant mulierem cum grandi peccato ei qui erat sine peccato. Et quia illa hoc audierat: *Qui sine peccato est, prior in illam lapidem mittat*: ab illo se sperabat puniendam, in quo peccatum inveniri non poterat. Ille autem, qui adversarios eius repulerat lingua iustitiae, levans in eam oculos mansuetudinis, interrogavit eam: *Nemo te condemnavit?* (Ibid. 10). Respondit illa: *Domine, nemo*. Et ille: *Nec ego te condemnavo*; a quo te forte damnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. *Nec ego te damnabo*. Quid est, Domine? Favet ergo peccatis? Non plane ita. Attende quod sequitur: *Vade, deinceps iam noli peccare*. Ergo et Dominus damnavit, sed peccatum, non hominem. Nam si peccatorum fautor esset, diceret: *Nec ego te damnabo*; vade, vive ut vis: de mea liberatione esto securus, ego quantumcumque peccaveris, te ab omni poena etiam gehennae et inferni tormentibus liberabo. Non hoc dixit.

2093

Intendant ergo qui amant in Domino mansuetudinem, et timeant veritatem. *Etenim dulcis et rectus Dominus* (PSAL. XXIV, 8). Amas quod dulcis est, time quod rectus est. Tamquam mansuetus dixit: *Tacui*; sed tamquam iustus: *Numquid semper tacebo?* (Is. XLII, 14, iuxta LXX). *Misericors et miserator Dominus*. Ita plane. Adhuc adde, *longanimis*; adhuc adde *et multum misericors*; sed time quod est in novissimo, *et verax* (PSAL. LXXXV, 15). Quos enim modo sustinet peccantes, iudicaturus est contententes. *An divitias longanimitatis et mansuetudinis eius contemnis, ignorans quia patientia Dei ad*

poenitentiam te adducit? Tu autem secundum duritiam cordis tui et cor impenitens, thesauricas tibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, qui reddet unicuique secundum opera sua (Rom. II, 4 ss.). Mansuetus Dominus, longanimis Dominus, misericors Dominus: sed et iustus Dominus et verax Dominus. Largitur tibi spatium correctionis: sed tu plus amas dilationem quam emendationem. Malus fuisti heri? hodie bonus esto. Et hodiernum diem in malitia peregristi? vel cras mutare. Semper exspectas et de misericordia Dei tibi plurimum polliceris: quasi ille qui tibi per poenitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis quid pariat crastinus dies? Recte dicis in corde tuo: Quando me correxero, Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare non possumus, quod correctis atque conversis indulgentiam Deus promisit. Nam in quo propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam, non mihi legis quia promisit tibi Deus longam vitam.

2094 Ex utroque igitur homines periclitantur, et sperando et desperando, contrariis rebus, contrariis affectionibus. Sperando qui decipitur, qui dicit: Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas cupiditatis meis, impleam desideria animae meae. Quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur. Desperatione autem, qui cum inciderint in gravia peccata, putantes, sibi non posse iam ignosci poenitentibus, et statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud se ipsos: iam damnandi sumus, quare non quod volumus facimus? animo gladiatorum ferro destinatorum. Ideo molesti sunt desperati: iam enim quod ti-

meant non habent, et vehementer timendi sunt. Istos desperatio necat, spes illos. Inter spem et desperationem fluctuat animus. Metuendum est ne te occidat spes, et cum multum speras de misericordia, incidas in iudicium; metuendum est rursus ne te occidat desperatio, et cum putas iam tibi non ignosci quae gravia commisisti, non agas poenitentiam, et incurras in iudicium Sapientiam, quae dicit: *Et ego vestrae perditioni superridebo* (Prov. I, 26). Quia ergo agit Dominus cum periclitantibus utroque morbo? Illis qui spe periclitantur, hoc dicit: *Ne tardes converti ad Dominum, neque differas de die in diem, subito enim venit ira illius, et in tempore vindictae disperdet te* (Eccl. V, 8, 9). Illis qui desperatione periclitantur, quid dicit? *In quacumque die iniquus conversus fuerit, omnes iniquitates eius obliviscar* (Ezech. XVIII, 27). Propter illos ergo, qui desperatione periclitantur, propositus indulgentiae portus: propter illos, qui spe periclitantur et dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum. Quando veniat ultimus dies, nescis. Ingratus es, quia hodiernum habes, in quo corrigaris? Sic ergo ad istam mulierem: *Nec ego te damnabo*; sed facta secunda de praeterito, cave futura. *Nec ego te damnabo*: delevi quod commisisti, observa quod praecepi, ut invenias quod promisi.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENENSI, VOL. II, SERM. 50.)

2095 PRIMA ratio est privationis. Duos quoque alios aspectus habuit in mente Christus. Primum ad gloriam beatorum; secundum ad durabilitatem eorum. Tantum ergo doluit Dominus noster Iesus Christus aspiciendo omnes, qui propter peccatum exules erant a gloria Paradisi, quantum erat bonum regni gloriae quod amittebant, et quantum duratura erat talis eius privatio quam incurrebant. Proinde Ambrosius ait: Tristis erat, et hoc propter primum, et tristis videbatur, et hoc propter secun-

dum, non pro sua Passione, sed pro nostra dispersione. O inestimabilis amor Christi! considera cum quanto affectu propter nos inimicos suos sibi totis viribus repugnantes sine sua utilitate tot et talia tolerando currebat ad crucem! Ideo Luc. XII, ait: *Baptismo habes baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur!*

2096 Secunda ratio est obligationis; aliosque duos aspectus habuit Christus Filius Dei. Primum erat ad supplicia damnatorum; secundus ad odium inierit Deum et peccatores damnandos irrevocabiliter generatum; quia tantum in mente doluit pro aeternaliter cruciandis, quantum erant tormenta, quibus erant aeternaliter cruciandi, et quantum erat odium inter Deum, et eos aeternaliter generatum. Hinc Ierem. III, in persona Domini, ait: *In tenebris collocavit me*; ecce primum: *quasi mortuos semperternos*; ecce secundum.

2097 Tertia ratio est abbreviationis. Alios insuper duos aspectus habuit in mente sua Christus. Primum ad meritum suae sanctissimae Passionis; secundum ad fructum suae sanctissimae Crucis; propter quod tantum in mente sua doluit, quod non potuit in perpetuum cruciari, quantum intelligebat se dolendo mereri, et quantum cognoscebat suum meritum in fructu augmentari. Proinde dolendo per aliquem modum, quod non potuit aeternaliter cruciari, meruit apud Patrem, tanquam si fuisset aeternaliter cruciatus. Ideo Is. LIII, ipse ait: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit*, ergo ut acquireret nobis suam gloriam sempiternam in Deo, Deum constituendo, per voluntatem et desiderium dilatabat totam vitam suam ad quoddam vivere infinitum, et ad tolerantiam infinitae maneris mortis communicando se totum ad quilibet praedictarum viginti quatuor rationum, et ad obiectum cuiuscumque mortalis culpa, ut suo aeterno Patri perfectius satisfaceret; et cuiuscumque peccatoris, ut nos perfectius cum Deo pacificaret; et cuiuscumque coronae, ut nobis eam perfectius fabricaret: sed et Pater suus aeternum suam dilatata et infinitam voluntatem, ac si opere perfecisset, plenissime acceptavit ad omne id, et ad quantum voluntas eius dilatabatur.

2098 In his duodecim rationibus duplicatis praedictis clarescere potest, quod pro qualibet ratione Crux Christi tam immensi doloris fuit, ut per eam apud intellectum humanum multiplicentur poenae infinitarum manerierum mortis.

2099 Tria autem obiecta possunt, quod mentalis Crux Christi non sic fuit immensi doloris.

2100 Primo obicitur, quod Christus tam aperte et clare intelligebat quaslibet rationes, propter quas peccatores in aeternum periclitantur, multaque alia a Deo permissa, propter quae mens eius, sicut

dictum est, cruciatur, quod non debebat mens illius a paterna voluntate in aliquo discordare. Nam manifestum est quod omnes coelestes cives voluntati divinae in omnibus sunt conformes, sed et Christus viator et comprehensor erat, ex quo patet quod amplius quam ceteri beati divinae voluntati conformis esse debebat. Ad quod dicendum, quod voluntas Christi duo habuit obiecta. Primum erat divinitas Dei, secundum erat sensualitas sui; secundum primum obiectum conformabatur beneplacito Dei; attamen pars eius voluntatis quae convertebatur ad sensualitatem illius, tristabatur et gaudebat amplius, et minus secundum sapientiam suam, iuxta proportionem obiectorum et aspectuum ad quos mens sua convertebatur.

2101 Praeterea etiam dici potest, quod Pater aeternus hoc volebat, videlicet, quod Filius suus doloribus, repletur, atque doletur, quomodo et quantum ipse dolebat de his quae in gloriam divinae iustitiae vertebantur: nam inquantum erat homo, per doloris patientiam merebatur; nam ipse non ob aliam causam carnem nostram assumpserat, nisi ut debita nostra solveret, merita nobis acquireret, et praemia aeternae gloriae largiretur.

2102 Secundo autem obicit potest, quod hiismodi Christi dolores de quibus praedictum est, exurgant et multiplicentur in poena infinitarum manerierum mortis. Sed Christus, nisi semel non poterat mori; et de necessitate sequitur duodecim duplicatas rationes praedictas, quod praedicti dolores debebant eum in momento, et subito interficere, nec maiorem poenam quam mortem poterat sustentare.

2103 Ad hoc dicendum est quod homo ex dolore mori non potest, nisi dolor communicetur sensibus corporis, et eius partibus sensitivis. Sed Christus ita realiter praedominabatur inenarrabilibus doloribus suis, quod non permittebat eos communicare sensibus sui corporis, nec parti alicui sensitivae, ita, quod ante tempus ab eo praecordinatum possent illum corporali vita privare. Erat nihilominus in potentis animae Christi virtus tanta atque potestas, et dominium liberi arbitrii tenendi omnes suas potentias fixas in continui adhaerentia omnium supradictorum aspectuum, et obiectorum, quantum requirebat rigor divinae iustitiae, et rectitudo virtutum mentis suae, et tractus culpa, et malitiae nostrae.

2104 Insuper tertio dici potest, quod homo ex vario respectu saepe de eadem re laetatur, et contristatur, sicut patet, v. g., de filio, cuiusdam rationalis patris sacram religionem intrante. Nam talis pater secundum sensualitatem tristatur, quod dilectus filius suus a se recedat, et ab eo taliter separetur; attamen virtuosae laetatur quia videt illum dicatum servitio Dei. Igitur si virtuosus vir

ex eadem re dolere potest, et gaudere, et sensibus sui corporis et partibus sensitivis ex diverso respectu communicare dolorem, et gaudium; sequitur ergo, quod ex eadem re homo plus et minus gaudere potest. Quanto ergo plus Dominus Iesus in virtutibus summis de eadem re poterat vario ex respectu amplius, vel minus dolere, atque etiam in summo gaudere. Unde etiam secundum August. lib. de spiritu, et anima, ait, quod anima dupliciter consideratur. Uno modo, ut anima; et sic habet relationem ad membra quae vivificant, et hoc Christus patiebatur; alio modo consideratur, ut spiritus, et sic fruebatur, nec dolebat.

2105 Tertio obiicit potest, ut in Christo homine praecognitio humanae salutis quam sequi praevidebat ex sua morte, et supernae restauratio, scilicet, civitatis, et acceleratio resurrectionis tertia die, et acceptio voluntatis paternae, necnon honor praedicandus in populo charitatis suae, debebant minere Christi dolorem in eius mente, et sic non tam immense dolere.

2106 Ad quod dicendum quod omnia ista debebant ei augere dolorem; quum enim haec omnia ex suo dolore debeuit Christus assumere, et tantum debuit sibi divina sapientia infundere, quantum sufficiebat ad supradicta omnia conquirenda. Praeterea, si non fuisset de sua morte tales gratiae subsecutae, nunquam voluisset non tantum dolorem solum, sed etiam nihil dolorabile sustinere. Proinde quanto videbat viciniam resurrectionem suam instare, tanto novit, quod pro passibilis vitae tempore, et maxime passionis illatae ampliore oportuit angustiam sustinere, seu assumere, ut post illorum dolorem a divina iustitia mensuram immensurabilem adimplere. Et quia, sicut ex dictis circa principium huius sermonis patet, dolor in amore commensuratur, ut quantus est amor alienius, tantus sit dolor de illius offensa; et Christus unione divina inaeestimabiliter Deum amaret, hoc ipso, in quantum passibilis erat, habuit dolere; ita absque mensura amabat; unde ad intelligendum causam huius immensurabilitatis imaginare, si esset unus Deus infiniti doloris, sicut est unus Deus infiniti amoris; et ille Deus uniretur Christo, scilicet, personali unione, et sibi dolores infunderet; cogita quantum doleat. Sic aliquoties videri potest, quomodo dolores Christi inaeestimabiles extiterunt.

2107 Verumtamen circa hoc advertendum est, secundum Alex. de Ales in 11, quod tria fuerunt in Domino nostro Iesu Christo, scilicet, corpus, anima, et divinitas. Primo corpus, quod fuit passibile simpliciter; secundo anima quae erat impassibilis simpliciter, tamen erat passibilis secundum quid, unde secundum Damasc.: Anima impassibilis existens,

corpore inciso, ipsa condolet, et compatitur non incisa; tertio divinitas, quae erat impassibilis, et impassibilis, unde Damasc.: Divinitas impassibilis existens corpori Christi, non est compassa; sicut sole superlucente in ligno, si securis incidat lignum, incisibilibus et impassibilis remanet sol.

Insuper est notandum, quod differentia est inter pati Christi, et pati nostrum. Nam, secundum Hieron. x de Trinitate: Est pati ex infirmitate, et est pati ex potestate, qui enim patitur, et non potest prohibere passionem, patitur ex infirmitate, qui autem prohibere potest, patitur ex virtute. Unde Damasc. ait: Passus est Unigenitus Deus omnes incurrentes in se passionum nostrarum infirmitates; sed passus est virtute naturae suae, sicut et virtute naturae suae natus est; nostrum autem pati est in infirmitate. Haec Alexand. de Ales. Proinde Is. LIII, ait de Christo Iesu: *Oblatus est, quia ipse voluit; et ad Ephes. v dicitur: Tradidit semetipsum pro nobis in oblationem*; item Propheta ait, (Psal. LIII): *Voluntarie sacrificabo tibi*; atque illum quaerentibus se obtulit, dicens: *Ego sum*.

2108 Secunda pars principalis circa Dominicam Passionem. Contemplamur incomprehensibilem passionem humilitatis; quia summa Veritas de se per Prophetam subiungit, dicens: *Humilitas sum nimis*; quasi dicat, excessi in humilitate; unde Luc. ix dicitur, quod in transfiguratione Domini Iesu apparuerunt Moyses, et Elias, visi in maiestate, et dicebant excessum eius, quem compleverat in Ierusalem; quia ibi complete ostendit amorem excessivum, quem habebat ad nos, propter quem assumpsit, et sustinuit, non solum excessivum dolorem et poenam, sicut praedictum est; verumtamen excessivam ingominiam, et confusionem, sicut nunc dicturi sumus. Nam quod summus Deus tali morte damnatus sit, abyssus fuit stupendae humilitatis. Haec est enim ille excessus, et transgressio de quibus humano generi per Ierem. Thren. III, Dominus ait: *Recordare pauperum, et transgressionis meae*; quia eorum memoria stuporem immensae dilectionis Dei erga nos manifeste ingerit menti, ut merito dicat: *Humilitas sum nimis*. Tanta ergo abyssus humilitatis aliquoties comprehendi potest, si consideremus quadruplicem causam Dominicam Passionis. Primo causam a qua; secundo causam de qua; tertio causam secundum quam; quarto causam ad quam. Prima causa a qua, est causa efficiens; secunda causa de qua, est causa materialis; tertia causa secundum quam, est causa formalis; quarta causa ad quam, est causa finalis. Consideremus ergo primo circa Dominicam Passionem causam efficientem, secundo causam materialem, tertio causam

formalem, quarto causam finalem; et iuxta haec quatuor causas, secundum quadruplicem intellectum loquitur Christus, dicens: *humiliatus sum nimis*; et in quolibet articulo huius secundae partis potest esse thema aliud ad loquendum de abyssu humilitatis Passionis Christi Iesu.

DOMINICA IV. IN QUADRAGESIMA.

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM IOANNEM.

Ioann. VI, 1-15.

18 Illo tempore: Abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tiberiadis:

2. et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, quae faciebat super his qui infirmabantur.

3. Subiit ergo in montem Iesus: et ibi sedebat cum discipulis suis.

4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum.

5. Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi?

6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus.

7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficient eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

8. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri:

9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, et duos pisces: sed haec quid sunt inter tantos?

10. Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem focum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia.

11. Accipit ergo Iesus panes: et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter et ex piscibus quantum volebant.

12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant.

13. Collegerunt ergo, et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superaverunt his qui manducaverant.

14. Illi ergo homines cum vidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.

15. Iesus ergo cum cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Homilia S. Augustini Episcopi.

IN IOANN. EVANG. TRACT. 24.

2110 **M**IRACULA quae fecit Dominus noster Iesus Christus, sunt quidem divina opera, et ad intelligendum Deum de visibilibus admovent humanam mentem. Quia enim ille non est talis substantia, quae videri

oculis possit, et miracula eius, quibus totum mundum regit universamque creaturam administrat, assidue viderunt, ita ut penes nemo dignetur attendere opera Dei mira et stupenda in quolibet seminis grano: secundum ipsam suam misericordiam servavit sibi quaedam, quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viderant. Maius enim miraculum est gubernatio totius mundi, quam saturatio natione millium hominum de quinque panibus (IOANN. VI, 10 SS.): et tamen haec nemo miratur: illud mirantur homines non quia maius est, sed quia rarum est. Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes. Potestas enim erat in manibus Christi: panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terrae mandata, sed ab eo qui terram facit multiplicata. Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis, ubi exercebatur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsam invisibiliter videre cuperemus, quem de rebus visibilibus invisibilem nosceremus.

2111 Nec tamen sufficit haec intueri in miraculis Christi. Interrogemus ipsa miracula, quid nobis loquantur de Christo: habent enim si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi, verbum nobis est. Hoc ergo miraculum, sicut audivimus quam magnum sit, quaeramus etiam quam profundum sit: non tantum eius superficie delectemur, sed